

*Bibliothèque numérique*

**medic@**

**Lesne, François-Dominique - candidat  
/ Fabre, Pierre - président. - [De  
hepatis abscessibus]**

**1753.**

***Paris : Typis FR. Delaguette  
Chirurgorum Collegii  
Typographi  
Cote : ms 2342, n°34***



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé  
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes  
.fr/histmed/medica/cote?ms02342\\_ms02346x01x0034](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0034)



D. O. M.  
THESES ANATOMICÆ  
ET  
CHIRURGICÆ.

---

EX ANATOMIA.



BI desideranda major in curatione certitudo, ibi plerumque difficilior tutaque minus evadit. Morbi scilicet viscerum, quorum integritas vitæ adeo necessaria, cæteris difficilior & cognoscuntur & curantur. Tumorum in illis sedentium exitus, eadem ac in partibus externis ratione, nec impugnari nec promoveri possunt. Quanta ex illorum suppuratione speciatim mala immineant, inde conjici potest quod præter sæpius deficientem puris præsentis certitudinem, exitus illi rariùs tutò, sæpiùs verò vel nullatenus vel saltem nisi cum graviore periculo conciliari possit. De hepatis abcessibus dicturi, ipsius Anatonomen paucis præmittemus.



2  
HEPAR viscus est coloris subrubri, sub Diaphragmatis fornice in hypocondrio dextro, & regione Epigastricâ, maximâ sui parte, partim etiam in hypocondrio sinistro situm, bilis secretioni inserviens.

Ex duobus lobis superius ligamento, inferius sulco distinctis, exurgit visceris hujus vasta moles, figuram irregularem exhibens, margine anticâ & sinistrorsum acuminata, posticâ verò & dextrorsum retusa. Hujus facies superior recurvatâ levitate diaphragmati sese aptat, inferior verò inæqualiter concava in eminentias extuberat, sinibusque excavatur.

INTER eminentias in lobo majore tantum conspiciendas, præcipuæ, illa quæ est tanquam lobi istius appendix triangularis *Spigelique lobus* vocata, & antè sita minor altera: utraque antiquis hepatis *Portæ*. Cavitates diversis partibus thalamos præbent.

DIAPHRAGMATI intimè, interjecto tantum levi textu cellulari, superiori suæ convexitatis parte adhæret; quæquidem adhæsiō apud quosdam ligamenti nomen improprie obtinet. Peritonæi duplicaturâ venam umbilicalem involvente, septo transverso iterum, musculoque abdominis recto oblique annectitur, ac tandem utroque suo latere ad Diaphragma rursus & spurias costas ligamentis lateralibus revincitur.

LIGAMENTA hæc totidem sunt plicaturæ peritonæi, quod postquam hepar involvit ad partes vicinas procedendo iisdem annectitur. Huic altera subjicitur membrana, propria dicta, & eas inter reptant in textu cellulari quodam innumera vasa lymphatica.

VASORUM innumerorum distributione conflatur hepatis substantia, quorum extrema desinunt in acinos, qui quidem aliis folliculi, alii verò horumce vasorum glomeres. Ex acinis liquorem secretum accipiunt vasa quædam *Pori Bilarii* nuncupata; ex eorum concursu nascitur canalis hepaticus.

NERVOS mutuatur à sympathicis majore & medio; arterias verò præcipuas à trunco cæliaco, alias autem à mesentericâ majore, phrenicis, mammariis, renalibus, capsularibus. Sanguinem ex toto ferè abdomine reducem, vena portarum accipiens illum, ve-

nis hepaticis in cavam revehendum, iterum in ramos divisa more arterioso in hepatis substantiam defert. Hujus rami, cum poris bilariis & aliis vasis advehentibus, in capsulâ quâdam quam supeditat propria hepatis membrana versûs interiorem Visceris illius substantiam, quâ parte vasa illam ingrediuntur, reflexa, includuntur. In ipsius extremis bilem secerni præter alia argumenta suadet communicatio venæ portarum cum poris bilariis iniectionibus demonstrata, hos inter ultimos aliaque vasa deficiens.

TEXTU cellulari, vasis, membranâ communi connectitur hepatis faciei concavæ vesica fellea, bilis receptaculum, piri formam, ovi gallinacei molem referens, in fundum quâ parte amplior, & collum quâ strictior, divisa.

MEMBRANA quadruplici conflatur, quarum exterior communis peritonæo adscribenda. Huic muscularis duobus fibrarum ordinibus constans, musculari nervea, nerveæ villosa subjacet. (a) Hæc amplior in vacuâ cystide rugas, quæ ad cervicem spirales fiunt, efformans; pluribus ostiis muciferis circâ collum conspicuis pertunditur.

Ex eo quod bilem in cystidem felleam canalibus hepato-cysticis advehi in animantibus quibusdam sit compertum, idem in homine ab aliquibus perperam assertum. Liquorem istum è canale hepatico in cystidem retrogradi pluribus evincitur argumentis. (b)

E cystide, cum opus est, effluit bilis per canalem cysticum, ex cujus & hepatici adunatione exurgit choledocus liquorem biliosum, obliquo tractu inter duodeni membranas serpens, in illud intestinum eructans.

(a) Winslow Exp. Anat. §. 295.

(b) Vid. Lieutaud Essais Anatomiq. p. 301. Haller prim. Lin. Physiolog. p. 376.

## EX CHIRURGIA.

**T**UMOR hepar occupans in abcessum quandoquæ exit. Hi autem abcessus multiplici modo differunt: alii etenim acutæ symptomatibusque suis designatæ inflammationi succedunt; alii

4

verò absque præviâ aut saltem cognitâ inflammatione lentè & insensibiliter excrescunt ; quidam gibbam , quidam verò concavam partem occupant ; in aliis pus in uno coacervatur folliculo ; in aliis verò disseminatum in pluribus abscessibus invenitur , quidam tandem idiopathici sunt , quidam sympathici.

ABCESSUS hepatis multiplicem habet exitum ; vel enim extus prominens tentandæ tunc à Chirurgo aperturæ se facilem præbet , vel pus forsàn versùs bilaria emissaria majora erumpens , aut per intestinum colum hepatis adhærens & perforatum viam sibi faciens (a) in intestina effundi & per alvum expurgari ; vel ruptis aut exesis hepatis substantiâ & membranis , in abdominis cavum exundare potest , (b) aut in pectoris cavitatem effusum empiematis accidentibus occasionem dat ; (c) ac tandem per metastasim in alias partes decumbit. De cœtero pus illud per sputa , urinas , vomitum quandoquè excerni inter rariora reponendum est : deniquè hepatis parenchyma suppuratione solutum frustulatim ex intestinis ejici non repugnare , tum ex consideratâ indole puris ex hoc viscere effluere soliti ; tum ex perpensis iis quæ ex ejusdem visceris cum intestinis quandoquè fissis & apertis adhæsione accedere possunt , facilitè deducendum.

Si gibbam hepatis partem occupet & extus in tumorem assurgat abscessus , ægri salus Chirurgiæ confidenda. Quanti autem inter sit , quantumque simul sit difficile casus istius diagnosi certam instituere , inde concludi debet , quod illam abscessus speciem mentiatur quandoquè cystidis felleæ à bile retentâ tumor. Utrumque equidem morbum primo aspectu paria , attamen attentâ perpensione , licet difficulter distinguenda , comitantur accidentia.

Modo quo dolor augetur aut decrescit , ipsius indole , tumoris habitu exteriori , formatione quandoquè , ratione quâ fluctuatio apparet , manifestatur , progreditur ; his , inquam , simul aut seorsim sumptis & perpensis , signa aderunt quibus abscessus à cystidis expansione poterit distingui.

(a) Vid. in Reg. Chir. Acad. Comm. Tom. 2. M. Petit. Jun. Tract. de Hep. Apost. p. 61, 65, 67, 68.

(b) Bianchii Hist. Hep. p. 361.

(c) Vid. jam citata Reg. Chir. Acad. Comm. p. 61.

**DOLOR**, si adsit, dum abcessus formatur, est pungitivus, dum excrevit cystidis tumor, idem nullatenus sentitur. Abcessus absque notabili circumscriptione indifferenter in epigastricæ regionis locis diversis & pedetentim, cystidis tumor circumscriptus semper infra costas spurias ponè musculum rectum subito ferè exurgit. Tegumenta in primo casu œdematosa. Bilis retentæ fluctuatio statim in omnibus tumoris punctis manifesta & non dubia; abcessus verò per tempus aliquod obscura, è centro ad circumferentiam, quæ semper duritiem offert, protenditur.

De abcessu, acutæ inflammationis confectario, pronunciare generatim, facilius quam de chronico. Tunc etenim inflammationis vestigia legere licet. Hanc antequam in suppurationem versa sit designant dolor in hepatis regione gravativus, bilis per universum corpus diffusa, urinæ rubræ, ardentes, bili refertæ; stercorum color griseus, albidus, febris & ejus symptomata. Inguente suppuratione, febris accidentia augentur, dolor ingravescit, pulsativus evadit: pure verò confecto hæc omnia remittunt, elevatur tumor, si in convexâ hepatis parte stabuletur abcessus, fluctuatio primùm perceptu difficilis è medio ad peripheriam progreditur. Abcessuum inflammationi acutæ succedentium materiem purulentam ut plurimùm disseminari, sive in pluribus folliculis coacervari observatum est. (a)

**CHRONICUS** abcessus à cystidis tumore difficilius equidem, progressu tamen suo & attendendo ad ea quæ tumoris manifestatione, fluctuationis indole & extensione, basis venientiâ, suprâ dicta sunt, distinguitur.

Ex omnibus signis abcessum indicantibus, fluctuatio sola sensibilis & abcessui propria, ad incisionem Chirurgum inducat; supervacaneum etenim foret, nisi certitudo adsit puri exitum conciliari posse, ullam operationem instituire.

**FLUCTUATIONE** itaque ritè compertâ & comprobatâ scalpelum Chirurgus usque in puris sedem adigat & huic decussatâ incisione viam det liberam: caveat autem imprimis dum parallelam corpori celebrat incisionem ne scalpello deorsum nimis impulsio salubres solvat adhesiones, purisque in abdominis cavum exundationi ansam præbeat.

(a) Vid. M. Morand Op. de Hep. Apost. in Comm. Reg. Chir. Acad. Tom. 2. p. 70.

Si quando de collecti liquidi indole perspectum certò non fuerit, illam acutriquetrâ in tumorem adactâ prius explorare ars præcipit. Damnamus censemus horumce abcessuum ulatione apertionem, veteribus laudatam, recentiorumque quorundam methodum quâ illam causticis primò moliuntur. (a)

NULLIBI brevius absolvitur deterfionis opus, evacuato pure, absque longo digerentium usu cicatrix obtinetur. Pus ex his abcessibus effluens vini fœcũ colorem refert. Hinc patet quantum graviter errent ii qui ex colore puris albo faustam prognosim deduci volunt. (b)

ABCESSUM hepatis in thoracis cavum apertum esse, tunc conjici debet, cum præviis suppurationis in hepate signis, alia succedunt empyemati propria; ut peculiariter decubitus in latus sinistrum difficultas, non nunquam etiam pus inter duas costas serpens, in tumorem extus prominentem colligitur; (c) tunc secundum artis præcepta instituenda venit empiematis operatio, idoneisque injectis Vulneris in hepate consolidatio præstanda.

QUOD alios abcessuum hepar occupantium exitus aut nullam ab ullo medio spem affulgere, aut si quæ affulgeat, illam a solis remediis internis quæ quidem molientis naturæ conatibus erunt, apprimè concinnanda repetendam esse liquet.

(a) Hæc Doctrina traditur apud Bianchum supra cit. p. 365.

(b) Hoc docet idem p. 364.

(c) Vid. Comm. Reg. Chir. Acad. Tom. 2. p. 60.

*De Versailles* **Has Theses, DEO JUVANTE, & præside M. PETRO FABRE, Artium & Chirurgiæ Magistro, tueri conabitur FRANCISCUS-DOMINICUS LESNE, Versaliensis, Artium Liberalium in almâ Universitate Parisiensi Magister.**

**P A R I S I I S,**

**IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.**

*Die Sabbati 24<sup>a</sup>. Novembris, anno Salutis 1753. à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

**PRO ACTU PUBLICO  
ET MAGISTERII LAUREA.**

Typis FR. DELAGUETTE Chir. Collegii Typographi.